



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De ejus subjecto. Caput II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

# TRACTATUS QUARTVS. DE IRREGULARITATE.

## CAPUT PRIMUM.

### Quid sit Irregularitas?



**IRREGULARITAS** (quæ Censura non est, nec, in uniuersum, pura pœna, ut patebit ex dicendis, & uideri latè probatum potest apud Gibalinum *a*) est impedimentum *b* Canonicum primario, & directè impediens Fideles à suscepiatione Ordinum, secundario autem, & indirectè impediens Ordinum ab eius usu, & impediens item eosdem à Beneficiis, Jurisdictioneque Ecclesiastica iuxta mox pluribus explicanda.

Hæc descriptio clarissima reddetur ex dicendis; præsertim à cap. 6. ubi prædicti effectus Irregularitatis separatim enodabuntur.

2. Illud dumtaxat hic non est sine explicatio-  
ne prætermittendum, puta, Cur tam signatè dictum est (*impedimentum Canonicum*.)

Respondeo, quia certa est omnium *c* sententia, Irregularitatem totam pendere, tanquam à causa efficiente à Jure Canonico, quod fertur à Summo Pontifice, ita, ut non possit imponi ab ullo alio jure speciali, vel præcepto, vel sententia latis ab inferioribus Papa. Vide id latius apud citatos.

## CAPUT II.

### De Subjecto Irregularitatis.

**SUBJECTUM**, seu is, qui denominatur Irregularis, est ille, qui, Primo, capax est Ordinis, & Secundo, qui Juri est Canonico subiectus. Cum enim Irregularitas sit Impedimentum à Jure Canonico inductum, quo vetatur Ordinum suscepiatione, eorumdemque usus, me-

moratam utramque conditionem requiret in subiecto, cui ipsa affigi debet.

2. Hinc primo, non baptizatus, hinc secundo femina, hinc Tertio, perpetuo amens, quia non sunt Ordinum capaces, nec erunt capaces Irregularitatis. Huc redacto Summum Pontificem, qui non est subditus Irregularitatem imponenti. Quare falsum est, quod asserit Diez, *a* Pontificem Summum fore Irregularem, si propria manu aliquem occidat. Immo quamvis non debeat *b* Irregularis, saltem publicus, eligi ad summum Pontificatum; est enim eo gradu indignus, si tamen eligatur, continuo liberatur ab Irregularitate.

3. Hinc secundo, Episcopi, immo & Cardinales subditi sunt Irregularitati, quia subditi sunt juri *c* communi Canonico, à quo Irregularitas imponitur, & licet ipsi, nisi exprimantur, non intelligantur comprehensi à lege universali Suspensionis, & Interdicti, sic Jure Canonico ob eorum dignitatem disponente, comprehenduntur tamen à lege universali Excommunicationis, & Irregularitatis, quia non apparet jus excipiens ab illis. Ita alijs citatis Leander, *d*

4. An, non baptizatus, si deinde baptizetur, censendus sit liber ab irregularitate ex homicidio v. g. commisso ante Baptismum, commo-  
dius dicemus *infra cap. 23. paragr. 1.*

## CAPUT III.

### Quibus verbis infligatur à Jure Irregularitas.

**PRIMO**, si in Jure Canonico, ejus est Irregularitatem imponere, ut supra docuimus, sic dicatur: *Sit Irregularis, Irregularitatem contrahat, & c.* clarum nimis est, tunc infligi Irregularitatem. Unum noto, in vetustiore Jure hanc vocem Irregularitatis non inueniri, non quia usus Irregularitatis

*a* Gibal. de irreg. c. 1.

*b* Sayrus de Cens. l. 6. c. 1. n. 9. Co- ninch. de irreg. d. 18. d. 1. n. 1.

*c* Turrian. de Cens. l. 8. d. 57. Aub. 1. G. Hurt. de irreg. diff. 1. alijsq. pas- sim.

*d* Suar. de Cens. d. 40. sec. 1. Co- ninch. l. c. n. 9. & Theo- log. An- tiquior. in 4. d. 15. q. 3. Art. 2.

*a* Diez in prater. cri. Cam. c. 16. no. 6. *b* Bonac. de Cens. d. 7. q. 1. 2. n. 6. Suar. d. 40. de cens. l. 7.

*c* C. Quia pericul. de censur. ex- comm. in 6.

*d* Leandr. de irreg. c. 1. d. 1. q. 6.